

flammæ, ab aëre intercepto, vel denegato extingvuntur. Plura de vitæ brevitate obeforum colligere licet ex *Zeileri cent. 5. Epist. 60. Mercurialis Prælect: Pisanis p. 27. & 179. uti & Melch. Sebizii ac Hammerori disputatione exhibente problemata quædam anatomica (qvæst. 18.) edit: Argentorati 1664.*

Denique ut finem faciamus recensendorum symptomatum & malorum, quibus obefos hæctenus vidimus obnoxios, finem omnium malorum adhuc attingemus, scilicet mortem & quidem subitanæ sæpe, cui ut plurimum nimis obesi parere tenentur. Facile verò iidem suffocari possunt; Sangvinis enim circulatio & respiratio non ritè succedit in iis, ob causas in præcedentibus adductas; hinc si duobus his negotiis præcipuis in corpore læsis, alia nova remora aut causa vehemens accedit, suffocatio vel vasorum ruptio illiusque pedissequa mors è vestigio sequitur. Exempla de obesitate, quorum vitæ flammam & usum extinxit sagina, ( præter ea, quæ reliquis in locis nostræ dissertationis continentur ) consignata prostant apud *Theod: Kerkringium in Spicileg. Anat: 66. p. 134. Timeum l. 6. cas: 2. p. 262. & 263. Bonetum in anat: pract: p. 699. & 710. Joh. Cunr: Dieterich: in Jatroch Hippocr: p. 944. & 945. Joh: Schenckium in obs. med: l. 2. p. 218. Joh: And: Grabam de cervo cap. 28. p. 295. Marcell: Malpighium in Epistol: Anatom: p. 106, aliosque plures,*

## CAPUT V.

### De Pathologicis.

**P**riusquam nos accingamus ad causas, signa & reliqua pathologiæ attributa, præmittemus hoc loco nonnulla de iis, qui, & quando quidam, uti & loco, in quo homines in obesitatem magis proni sint. Benè autem de his sequenti modò loquitur *Theod: Zwingerus in Physiolog. Med: cap. 5. p. 729.* Subjectum pingvedinis, inquit, est homo secundum totum & secundum partes. Secundum totum quidem, quatenus est tum in utero; Sic embryo pingvescit magis & minus, pro Matris suæque temperie; tum extra uterum; quo-

ad